

**Circa solennem  
inaugurationis actvm dum  
viro admodum reverendo &  
præcellent...**

Sirenus, Daniel Sigfridi

*1 Ic 1698 Wanochius, Andreas*



National Library  
of Sweden

8  
13.  
90

2



CIRCA  
Solennem  
INAUGURATIONIS ACTVM

Dum  
VIRO

*Admodum Reverendo & Praecllentissimo*

Mag: **A N D R E Æ  
W A N O C H I O,**

Philos. Pract. & Hist. PROFESSORI

In Regiâ ad Auram ACADEMIA  
Ordinario Celeberrimo,

Munus Professionis in Theologia  
Extraordinariæ,

*Solenni pompa solitisq; ceremoniis in dicta Academia  
die 26. Septemb. Anno 1693. conferretur*

Gracili hæc fudit crenâ  
Sic Rie Martis Alumnus.

**DANIEL SIRENIUS,**  
*Aust. Em.*



90



I possem, vellem, Celebris tum Clare Professor  
Claro cantum Ti gutture succinere,  
Et laudes dignas dulci modulamine, vellem  
Concelebrare sono & magne Patrone, Tuas.  
Pro meritis multis vellem venerabile nomen  
Tollere ad astra Poli, Dux gregis alme Dei,  
Ast ego cum norim tenuis quam sit mea Musa  
Quam parva vires ingenii pariter.  
Quamque mihi gracilis norim sit vena canendi  
Qua certò doctis auribus agra foret.  
Scilicet incultus metuo vilisque subire,  
Magnificos vultus, magne Patrone, Tuos,  
Musa nec ausa fuit sacrata palatia doctum  
Scandere magnorum, aut limina magna virum  
Cunctantem erexit tandem reverentia sacra  
Pectore quam calido debeo ferre Tibi.  
Vicit ut ipse feram, mihi semper grata voluptas,  
Quam corde incenso non retinere queo.  
Plausibus hac multis en nunc erumpere flagrat  
Promere discupiens jubila leta simul.  
Carmina quapropter, celebris tum magne Patrone,  
Quæ poterit mea Ti curta Thalia dare;  
Excipias placide vultu & dignare sereno,  
Sic fruitur voto mens pia rite suo.  
Hic cernes etenim suavis præconia laudis  
Quamvis inculto & simplice texta stilo.

Deberem



Deberem Majora Tibi ferremque Profector,  
Sunt sed inepta meae grandia vela rati.  
Et potiora canant qui possunt carmina, suis  
Tollentes verbis nomen in astra Tuum.  
Hinc ego permotus tennes Tibi pangere versus  
Macenas statui, sit modo dulce melos.  
Inter Doctorum sedes, subsellia Musa  
En statuere Tibi, tum magis alta dabunt.  
Nam tibi nunc iterum tradent quod splendida dona  
Ingenii officium, sat meruere Tui.  
En Tibi quod dico, sanctum & venerabile munus  
Thejologi, Clari Philosophique tenes.  
Hoc meritò fiet nam quis describere possit  
Quam Tua sint tibi, dulcia dicta sono.  
Quis numerare valet quoties perfusa fuere  
Castalia lymphæ lumina blanda Tua?  
Quot dederas operas docti quas volvere possunt  
Voluit & Aonii gens studiosa chori?  
Salvificis curare soles Tibi pectora verbis  
Tradita. Sunt multis hæc celebranda modis,  
Virtutum cultor pariter Doctorque fuisti,  
Exprimit hoc factò quod sonat ore decus.  
Hac Tua facta Tibi nomen meruere celebre  
Ponti quod magni littus utrumque ferit.  
Ætheris immensi, cujus, fama ampla theatrum  
Pulsat & astra suis permeat eulogiis.  
Hac Tua fama omnem celeberrima pervolat orbem  
Quæ sol educit quaquæ reducit equos.  
Deberem meritò doctis Te ò lucida gemma  
Telluris nostri, condecorare typis.  
Id Tibi cum nequeam, statuo nunc sacra parare,  
Pinguia devotâ thuraque ferre manu,

Immiscete rogo vestros Parnassia turba  
Carminibus dulces flexanimesque sonos,  
Dum macenati magno pronoque Patrono.  
Pectore submisso sic pia vota cano.  
Ampli Thejologum nostri decus ordinis ingens  
Et jubar eximium, fulgida stella simul;  
Lecti Philosophi magni pariterque Senatus  
Excellens Membrum gloria sacra simul;  
Te cæli genitor vasti rex maximus orbis  
Augeat innumeris dotibus usque suis!  
Det Deus ut portes felix ac viribus æquis,  
Hoc humeris semper quod grave voluis onus!  
Augeat ex cælo successibus, augeat annis  
Nestoreis dico, quos Tibi ritè precor!

